

# The Electronic *Manipulus florum*

[www.manipulusflorum.com](http://www.manipulusflorum.com)

## Consolacio g cum fonte primo

Cum uolumus afflictum quempiam  
a merore suspendere,  
ordo consolacionis est ut  
studeamus prius merendo eius luctui concordare.  
Dolentem non potest consolari  
qui non concordat dolori,  
quia eo ipso quo a merentis afflictione discrepat,  
minus ab illo recipitur cui mentis qualitate separatur.  
Sed emolliri prius debet animus ut afflicto congruat,  
congruens inhereat, inherens trahat.  
Nec ferrum ferro coniungitur  
si non utrumque exustione ignis liquetur;  
durum molli non adheret  
nisi prius eius duricia mollescat.

Sic nec iacentem erigimus  
nisi a rigore nostri status inclinemur  
quia dum rectitudo stantis a iacente discrepat eum  
cui condescendere negligit, nequaquam leuat.

Gregorius libro III. moralium.

→ Ordo quippe consolationis est ut  
cum uolumus afflictum quempiam  
a maerore suspendere,

← studeamus prius maerendo eius luctui concordare.  
Dolentem namque non potest consolari  
qui non concordat dolori,  
quia eo ipso quo a maerentis afflictione discrepat,  
minus ab illo recipitur, cui mentis qualitate separatur.  
Sed emolliri prius debet animus ut afflicto congruat,  
congruens inhaereat, inhaerens trahat.  
Neque enim ferrum ferro coniungitur,  
si non utrumque exustione ignis liquetur;  
et durum molli non adhaeret  
nisi prius eius duritia temperata mollescat  
ut quasi hoc ipsum fiat, quod curatur ut teneat.  
Sic nec iacentes erigimus,  
nisi a rigore nostri status inclinemur,  
quia dum rectitudo stantis a iacente discrepat eum,  
cui condescendere negligit, nequaquam leuat.

Gregorius Magnus, *Moralia in Iob*, 3.12 (CCSL 143,  
M. Adriaen ed., p.127, ll.8-21).